



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 47. Rex cum exercitu versus Mediolanum progressus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

**Sæcul. XVI.**  
**A. C. 1524.**

nus, licet Mensis October ad medium vergeret, cum suo exercitu Alpes transcenderet. Dissuadebant Regi hoc iter tam ejus Ministri, quam Belliduces, ipsa etiam Sabaudix Princeps ejus Mater missis tribus omnino cursoribus tabellariis iterum iterumque Regem obsecravit, ut discessum differret: Verum Franciscus jocando Ministris suis reposuit: remaneant domi, qui frigus sustinendo impares sunt, Matri vero suæ nunciari jussit, se concessæ administrationis diploma eidem missurum, ceterum unice eo curas suas intendat, ut hujus rescritti auctoritas comprobetur, ipsaque juxta illud regni salutem procurare studeat. Rescripsit illa Regi, se ad eum proxime accessuram, cum maximi momenti res haberet, quas illi communicaret, nec tamen calamo aut cuicumque alteri personæ confidere posset: Cui reposuit Rex, ut labori ad eum accedendi parceret, eoquod jam tantum itineris confecisset, ut eum assequi haud ultra valeret.

§. XLVII.

*Rex cum suo exercitu versus Mediolanum progressus.*

*Ant. de Vera* Igitur Rex iter suum strenue prosequatur, secumque ducebat viginti pedatum  
*l. cit. p. 94.*

ditum millia, ac numerosum peditatum, <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 quo selectiorem longis retro annis <sup>A.C. 1524.</sup>  
 Francia non visibat, præter quatuordecim Helvetiorum millia, ac sexies mille Germanos pedites, quos Guisæ & Suffolciæ Comites, necnon Franciscus Lotharingus adduxerant. His copiis auctus Rex Pedemontium peragravit, eumque comitabantur Henricus Albrechtus Navarræ Rex, Alenfonius & Longevillanus Duces, necnon Albanæ Dux regio Scotorum sanguine ortus, præter Suffolciæ, & S. Pauli Comites. His quoque sese jungebant Valdemontius, Franciscus Lotharingus ejus frater, Ludovicus Trimollius, Palicius, Fuxus, & Morentiacus omnes Franciæ Marefcalli. Sequebantur itidem Bonivetus Admiralis, Sabaudia Nothus magnus Franciæ Magister, Michael Antonius Salutarum Marchio, Renceus de Ceri, Philippus Chabotus Brionia Toparcha, Galeatius Sanseverinas supremus Regis Scutarius, Ludovicus de Arfia præter alios quamplurimos Nobiles. Ex adverso Carolus Lanoyus Neapolis Prorex Cæsaris exercitui imperabat, qui non parum turbabatur, cum Galli ac præcipuo Palicius, & Morentiacus tam prope instarent, ut Proregis vestigia premere viderentur, magisque incautos trucidarent.

§. XLVIII.